



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 209. Quidam Societatis Scriptores hoc anno defuncti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

Sæc. XVII. necnon Leodiensi Canonicatu decora-
A. C. 1617. tus, meritorum suffragio Archidiaconi
 officio fungeretur, & postea Leodiensis
 Episcopi Vicarius Generalis crearetur,
 tres tomos de Historia Leodensium,
 Tungrensium, & Trajectinorum Præ-
 fulum conscripsit: Edidit quoque tra-
 ctatum *de casibus reservatis* in usum præ-
 fertim Ecclesiarum Belgicarum, nec-
 non *elucidationem scholasticam Catechismi*
Romani, præter *summam* ejusdem Ca-
 techismi *pro ordinandis*. Præterea pu-
 blici juris fecit *vitam & miracula S. Per-*
petui Episcopi Trajectensis, & tractatum
de necessitate & modo administrandi Sacra-
menta tempore pestis. Celebratur præ-
 cipue ejus dissertatio *de prima & vera*
origine festivitatis SS. Corporis & San-
guinis Domini.

§. CCIX.

Quidam Societatis Scriptores hoc
anno defuncti.

Miræus l. c.
Alegamb.
Script. Soc.
pag. 255.

Hunc item annum sibi exitialem ha-
 buere quidam Societatis Scripto-
 res, quos inter celebrior est Franciscus
 Suarez natione Hispanus, patria Gra-
 natensis, quem mediocri ingenio prædi-
 tum, ac suis condiscipulis inferiorem
 subito ad *Superioris sui vocem scientiarum*
 luce

luce perfusum fuisse, narrant Jesuitæ, a Sæc. XVII. quibus etiam modo *communis omnium* A.C. 1617. Magister, nunc Auctor gravissimus, Doctor eximius, celeberrimus, Alter hujus ætatis Augustinus, Theologorum coryphæus, in Scholasticis gigas, hujus ætatis Prodigium, Oraculum, lumen &c. plenis buccis deprædicatur, scripsit enim reipsa in summam Divi Thomæ plusquam octodecim majoris formæ volumina, quæ inoffenso pede percurri possunt, excepta doctrina de Confessione absentis absentis facta, quæ ab eodem Suaresio post Clementis VIII. damnationem benigna interpretatione fuit moderata, ac nihilominus per Sacram Congregationem rejecta est, unde in ea, quæ hodiedum circumfertur, secundi tomi editione de Sacramento Pœnitentiæ tandem castigata reperitur. De fato libri sui, cui titulus: *Defensio fidei Catholicæ*, jam supra mentio incidebat. Edidit insuper Suaresius librum de immunitate Ecclesiastica occasione controversiæ inter Papam & Venetos, ceterum decessit hic Author ferme septuagenarius Ulyssipone die vigesima quinta Septembris. Alter erat Hieronymus Xavier S. Francisci Xaverii Cognatus, qui librum *de Mysteriis fidei*, necnon *Martyrum historias, vitasque Apostolorum,*

Vid. tom. 53. in fine inter errata.

Sæc. XVII. *lorum*, aliumque librum *de vita, miraculis, & doctrina Christi* præter varias epistolas conscripsit. Ipsius autem *Historia Christi* Perfice conscripta, & a Ludovico de Dieu animadversionibus rogo dignis vitiata, a S. Congregatione Indicis in tribus decretis cum annexa ejusdem *Historia Petri* proscripta est. Obiit Hieronymus Goæ die decima septima Junii. Tertius erat Alphonsus Rodriquez, alter ab eo, qui ejusdem nomine anno priori ex eadem Societate decessit. Hic per triginta annos Janitoris munere functus pariter nonnisi Asceticos quosdam tractatus posteris reliquit, tandem vero annos natus octoginta septem Majoricæ die trigesima prima Octobris mortalitatem exiit. His accedit Andræas Eudæmon Joannes natione Græcus, qui calamum suum in fidei controversiis exercens, librum de Antichristo adversus Robertum Abbotum Anglum, necon responsionem ad ejusdem Antilogiam, & castigationem Apocalypsis contra Brichtmanum itidem Anglum edidit. Vindicabat quoque P. Cotonum, Garnetum, & Bellarminum adversus Danæum, Coquum, Barclaium, Isacum Causabonum, & scriptorem Paraleli inter Tortum & Tortorem. Denique

que minoris nominis Scriptores ex eadem Societate hoc anno decessere Ferdinandus Alberus, Gregorius Roscius, Bidermanes, Crusius, Heumont, Escriva, Guerriero, Browarus & Gonzalez de Lofada.

Sæc. XVII.
A. C. 1617.

§. CCX.

Joannis Carthagenæ extrema.

Ex celeberrima Sancti Francisci familia sat illustre lumen hoc anno extinctum est, Joannes Carthagena natione Hispanus, qui in studiorum decursu prout eruditione provehebat magis magisque, ita ad eandem mensuram intendebat virtutum ardorem. Juvenis adhuc Jesuitarum Societatem amplectebatur, maturior autem factus, eadem relicta, Fratribus Minoribus Sancti Francisci sese aggregabat, quorum institutione non modo in scientiis, sed vel maxime in Religionis, & proximi Zelo tam uberes collegerat proventus, ut primo Salmanticæ Theologiam aliquamdiu professus, Romamque evocatus, præclara admodum obsequia Ecclesiæ præstaret. Sedente Paulo V. rursus Theologiæ Professore agebat, atque exorta inter hunc Pontifi-

*Wading.
Bibl. F. F.
Minor. Haroldus in
addit. ad
Wading.*